

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Michael Cobabus Severin Walter Schlüter

**Exercitatio Inauguralis, sistens Generalia Praesidia, eaq[ue] potiora, quibus vel  
prosua, vel adversus nostram Religionem potiores hodie Adversarii utuntur  
addita brevissima animadversione**

Rostochii: Kilius, 1672

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740891391>

Druck Freier  Zugang



RU theol. 1672

Cobabus, Mich.









Quod felix, atq; faustum esse jubeat Deus altissimus!

EXERCITATIO INAUGURALIS,

sistens

GENERALIA  
PRÆSIDIA,

eaq;  
potiora,

quibus

vel prosua, vel adversus nostram Religionem  
potiores hodie Adversarii

utuntur,  
additâ brevissimâ animadversione.

Quan<sup>tum</sup>,  
permissu venerandi Theologorum Collegii  
in Academia Rostochiensi,  
præside spectabili ejusdem Collegii nunc  
temporis Decanō,

DN. MICHAELE COBABO,

Theol. D.ac Professore,  
Domino, & Fautore suo singulariter honorando,

ad consequendum honores Theologicos,  
in Auditorio majori, ante & post meridiem, d. XVII. Septembr.


ANNI ob Ic LXXII.

publico examini offert

SEVERINUS WALTHERUS *Schlüter*

Hamburg.

ROSTOCHII, Typis JOHANNIS KILII, Universitatis Typogr.



PATRIÆ  
&  
PATRI.  
Illustris Reipublicæ  
**HAMBURGENSIS**  
PRÆSIDIBUS SPLENDIDISSIMIS,  
SENATUI MAGNIFICO,  
&  
AMPLISSIMIS  
XII. atq; VIII. VIRORUM  
COLLEGIIS,  
Dominis ac Fautoribus suis reverenter  
fincereq; colendis:  
Nec non  
Parenti piè venerando,  
**DN. JOANNI SLUTERO,**  
JCto, & Serenissimi Meklenb. Ducis  
Cancellario atq; Consiliario intimo:  
*hoc qualemque studiorum Theologicorum spicilegium  
è Roseto Varniaco in sinum effundit*  
AUTOR.



χάριν παρέχου χειρὶς της ἐμοῖς πόνοις.

Igilanter suam' hodie rem agunt Orthodoxæ Religionis Adversarii: nostrum est occurrere non oscitanter. Occurri modō haut undō potest. Ceterū labetur haut dubiè, quicquid struitur ab hostibus, modo ante oculos habeas generalia, quibus vel insuis defendendis, vel nostris confutandis uti suevere, præsidia, eorundemque imbecillitatem: fulcris enim parum firmis existentibus, parum quoque firmitudinis superstructo, inesse adficio censendum est. Veniunt autem mihi Generalium Præsidiorum nomine, non quæ unī duntaxat aut item alteri dogmati generatim probando confutandovē adhiberi solent; sed quæ vel omnibus, vel certè plurimis aut probandis, aut confutandis, modō solida forent, apta esse possint. Talia nos in præsens velut in tabulâ sistemus, addemusqué brevissimam pro ratione instituti animad-

A

ver-

NOV (5)

versionem. Producentur vero in medium Praesidia  
1. Papistarum, 2. Calvinianorum, 3. Socinianorum,  
4. Arminianorum, 5. Iudeorum. quanquam neco-  
mnia istorum adferre animus est, sed potiora, quem-  
admodum inscriptio monuit: nam vel his ipsis, qua-  
exhibemus, probè pensitatis, quam non posit non im-  
manis illa Specialem errorum moles falsitatis si non  
argui, suspicioni tamen obnoxia reddi, apparebit: Et  
sufficient sane nuncista nobis quodammodo exerce-  
dis. Faxit DEUS, ut feliciter peragatur negotium.

I. Ordinur à Papisticis. Hæc ita habent.

(1) Gaudentes longissimi temporis  
Præscriptione non tenemur pro  
fidei capitibus à nobis venditata,  
vobis Lutheranis probare.

Ita Faber JCtus in Cod. lib. 1. tit. 1. Nibusius Apostata  
in Arte Nova, alii, Walenburchii in Appendix ad Motiv.  
II. rem alter paulò torquere conantur.

Sed hoc asylum à JCtis mutuo sumptum, quippe apud quos ma-  
gnus exceptionis istius peremptoriarus usus, hic locum non habet. Nam  
1. credendorum norma non est jus civile. 2. objectum præscriptionis  
non est verum, & falsum; sed meum actuuum. 3. Petrus, 1. epist. c. 3, 15.  
clarissime: Εἴποι ἀεὶ τῷς ἀπολογίᾳ παντὶ τῷ ἀλλεν ὑμᾶς  
άρχοντες τῆς ἐνύμιν ἐλαύονται (seu, ut Syrus expressit ultima:  
אָל כְּבָרִתִ רְחוֹמָנוֹתִ) vide sis fusæ Galixt. Digr.  
de Arte Nova à s. CX.

(2) Non

(2) Non opus est illorum conlectio  
quentias ex Scriptura eductas ad-  
mittere , qui solam Scripturam  
conclusionum Theologicarum  
principium esse volunt.

Ita Gonterius in Colloqu. Durlac. a. 1613, inter Ducem Van-  
dimontium & Marchionem Durlacensem habito, Arnoldus,  
Veronius ( eam in rem citati à Videlio in Rationali Theo-  
logico, ac inde à Calixto in Digr. de A. N. à P. C. ) Masenius  
in Concordia medit. passim, Walenburchii in Metb. Au-  
gustin. & in Exam. i. Princip. Fid.

At 1. particulæ exclusivæ non excludunt concomitantia , sed  
pugnantia. 2. probetur, consequentias, ac explicationes sensum prin-  
cipii (normæ) declarantes pugnare cum principio. 3. est hæc collectio  
à non distributo ad distributum. argumentantur enim adversarii à  
promissione utendi sola Scripturâ in adserendis fidei capitibus ad  
promissionem utendi solo pñtrō Scripturæ, adeoque à genere ad spe-  
ciem : quod nefas. conf. Calixt. l. c. à §. CVII. & impr. Dn. D. Joh.  
Musæus de usu princip. rat. tract. de Convers. Disp. 2. Disp. i. con-  
tra Masen.

(3) Papa noster ex cathedra pro-  
nuncians est infallibilis, ideoque  
pro judice authenticō in rebus fi-  
dei agnoscendus.

*Nomina sic statuentium infinita esse nemini non patet , ut  
haut opus sit, chartam iis in præsens complere.*

Sed nos 1. desideramus tabulas hujusmodi infallibilitatem pro-  
mittentes, 2. erroribus jam tum in aprico positis errandi possibili-  
tatem,

A 2

tatem,

eatera in dubium vecare *ad Cura* est. At terrasse Papas historia omnis  
ævi clamat. Vel solæ ipsorum contradictiones rei probandæ suffice-  
rint. V. autt. infra cit. 3. Dicatur, quæ tandem sit publica Ecclesiæ  
Romanae de hoc negotio sententia : nam hactenus particulares tan-  
tum easqué nimium quantum discrepantes DD. opiniones vidimus.

Alia ad istam Romanensem hæresin (quæ Gerhardo L. de  
Eccles. §. 230. f. pestilentior reliquis omnibus, & multarum hæresium  
caput, fons, Corigō jure meritò dicitur) profligandam facientia sug-  
gerunt præter alios Gerh. Conf. Cath. lib. I. gen. P. II. cap. II. à p. 209.  
Calixt. de præcip. Christ. relig. capit. Disp. XIII. à §. XXX. & ma-  
ximè in Resp. adv. Mogunt. Dn. Joh. Adam. Osland. in Specim. Jan-  
senismi à p. 29. ad p. 69. Tannero se ibi opponens, Dn. Conringius  
in Concusione Fundam. fidei Pontif. etiamnunc (ut maximè oblo-  
cuti sint Haunoldus, Erbermannus, Valerianus) inconcussâ.

#### (4) Vulgata Latina est authentica.

*Ita Trident. Concil. Sef. IV. quanquam de sensu verborum  
Concilii, cœu constat, domesticæ contentiones dantur.*

Sed nos opponimus pugnam editionum à Sixto V. & Cleme-  
nte VIII. procuratarum. hæ enim in pluribus quam 2000 locis disre-  
pent, de quo Jamesius in Bello Papali. conf. Sixtin. Amama in Anti-  
barb. Bibl. à p. 98. Jam quænam harum authentica? Dicent hau-  
dubie: Clementina. At ubi tum *ἀναμάρτυρις* Sixti? Mitto reliqua.

Vid. Cham. T. I. Panstr. Cath. lib. XIV. Gerh. Exeg. L. de Script.  
§. 316, 317. & §. 512. &c. Conf. Cath. lib. II. spec. p. I. à p. 135. Dn.  
August. Varen. Disp. de Canone Script. authent. ed. a. 65. ubi telo-  
rum abunde contra hunc errorem.

#### (5) Libri Lutheranis Apocryphi sunt pro Canonicis habendi.

*Ita Concil. Trid. I. c.*

At hi libri 1. nunquam vel ab Ecclesia Judaica, vel à Chri-  
stiana primitiva universaliter sunt recepti: 2. pugnant cum Cano-  
nicis.

nicis. Vid. hæc & alia fuisse ap. Gerk. Exeg. L. de Script. à §. 68.  
ad §. 100. &c. in Confess. Cathol. lib. II. spec. P. I. à pr. Cham. I. c. I.  
IV. &c. Schröder. de Princip. Theol. cap. I. fest. IV. qv. VI. Calixt. de  
Num. libr. V. T. &c.

## (6) Stant pro nobis Concilia & Pa- tres.

*Ita multi.*

Sed 1. norma credendorum non sunt Concilia & Patres. V.  
Gerk. Conf. Cath. lib. I. gen. P. II. cap. X. & XIII. Rivet. in prole-  
gom. Crit. S. &c. &c. 2. falsum stare pro ipsis Concilia & Patres. Vid.  
contrarium in singulis Magdeb. Centuriis cap. IV. & passim in scri-  
ptis nostris controværias tractantibus, speciatim Dn. Bebel. 3.  
Præsidia in supposititiis (cujusmodi Cucus & alii detexere) quæsi-  
ta nos parùm movent. 4. agnoscimus tamen & nèvos Patrum.

## (7) Patres & alii libri docentes ad- versa nostræ religioni purgandi sunt beneficiô Indicum in id con- fectorum.

*Id loquitur Praxis Papistica.*

Sed 1. Purgatio nunquam præstabit, ut scriptum ab autore  
non sit scriptum. 2. dices: neque hoc volunt Papistæ. non enim nisi  
ab hæreticis corruptos Patres purgant (vid. Reg. 2. Jndici expurga-  
torio præmissa). Sed nullus hic titulus. sunt deprehensi ēt au-  
Φω̄φ.

Vid. Junii præfatio ad Jndic. expurgat. Belgic. Rivet. prolegom.  
in Grit. Sacr. cap. 12. Benedicti Turretini præfatio Jndici Sandovalii  
nec non Setomajoris a. 1667. in fol. recuso præmissa. Add. disp. de  
Jndic. Papist. expurgat. a. 66. sub Præsidio Dn. Thomasi habita &c.

A 3

(7) Au-

(8) Autores privati discēdentes à communi Romanæ Ecclesiæ sententia non possunt ab hæreticis, tanquam ipsis ὅμοψηφοι, adduci, quia existimandi sua submisisse Ecclesiæ.

Huc faciunt, quæ habet Bellarm. T. II. controv. gen. I. lib. 4. de not. Eccl. cap. 10. T. III. contr. gen. 3. lib. I. de Euchar. cap. 5. §. Porrò. T. III. contr. gen. 5. de matrim. cap. 15. §. ultimō T. IV. contr. gen. 3. de iusif. lib. II. cap. I. §. Deinde & alia.

Sed 1. à submissione necessariò Ecclesiæ Romanæ (Pontifici) præstanta (si nempe ab illa excludi nolint) ad negationem sensùs contrarii sensu Ecclesiæ Romanæ de rebus controversis deprehensi in privatis scriptoribus N. V. C. &c. 2. libri hodie cum censuris prodeunt, testantibus, nihil inibi dari Romanæ doctrinæ contrarium. aut; igitur censuræ istæ sunt supervacuæ, aut, si quid in libris hujusmodi nostræ doctrinæ consonum est, adduci à nobis potest, ceu Ecclesiæ Romanæ doctrina.

(9) Sequi potest juxta regulam prudentiæ, quod non sequitur juxta regulas Dialecticæ.

Ita Bellarm. T. II. controv. 3. lib. I. de Purgat. cap. 4.

Sed ubi dantur regulæ consequentiæ, præterquam in Dialectica? Talis purgatorii propugnator. purgatorium non struet.

(10) In rebus divinis post bapti-  
smum

sum quoque suō ipsorum judi-  
ciō (quippe peccatum originale,  
& per consequens cœcitatem  
mentis, non amitti statuentes, sed  
tantūm reatum) adhuc cœci, non  
sunt apti ad verum Scripturæ sen-  
sum indagandum.

Huc rendunt, quæ Müllmannus Jesuita habet im unwie-  
derreiblichen Beweis / daß die Evangelisch genante Eutho-  
risthe keinen rechten Verstand der Bibel / und also kein  
wahres Wort Gottes haben können / &c.

At probetur, æquè transcendere captum hominis regeniti sen-  
sum verborum Scripturæ, ac eum transcendunt nonnullæ res verbis  
comprehensa, id est, mysteria tam regenitis quam irregenitis inevi-  
denta. Quid verba Scripturæ præ se ferant, & item quid ex quibus  
efficiatur, alieni quoque à religione Christiana judicare quodammo-  
do possunt, (modò admittatur interpretatio terminorum à Christia-  
nis facta,) & hinc à priscis ad profanorum etiam judicia in his talibus  
provocatum est. Vid. huc factura ap. Calixt. Digr. de A.N. §. LXV. f. §.  
LXVI. §. LXIX.

(II). Si quis solâ linguarum peritiâ  
instructus, & assiduâ Scripturæ le-  
ctione exercitatus, epistolas Pauli,  
principiè, quæ est ad Romanos, &  
Galatas, explanandas susciperet,  
in maximo periculo versaretur.

*Iam Vasquez in I. P. Thome qu. I. art. X. Disp. XV. cap.  
VI. p. 72. b. Conf. buc spectans apud Wolf. in Lection. memo-  
rab. centur. 16. p. m. 623.*

At 1. cur metuit Vasquez præ aliis Paulo? haut dubie, quod splendor Paulinorum dictorum ita ferit oculos, ut glossæ ex Jacobo (quippe quem dominari in negotio justificationis Papistæ volunt) ad moveri à Papistis solita locum habere non possint. 2. Solam linguarum peritiam non sufficere hodie scripturam interpretaturo, concedimus: Scholasticæ autem Theologiæ, qualis in Papatu tradita, (hanc enim juxta requiri inter alia in præced. Vasquez mouerat) opus hic esse pernegamus, imò censemus summè noxiā. ratio, quod dogmatum Theologicorum norma esse non debet Plato aut Aristoteles, sed sola Scriptura. Conf. Oratio Didimi Faventini adversus Thomam Placechtinum pro Lutherō in Opp. Melanchth. P. II. à pag. 47. & omnino Gerh. Conf. Cath. lib I. gen. à p. 743. alii.

(12) **Licet Catholici, & hæretici in-**  
**sententia eadem nonnunquam,**  
**convenire videantur, multū tam-**  
**en interest, quod penes illos o-**  
**ptima, penes hos pessima est in-**  
**tentio.**

*Ita Bellarm. T. III. controv. 3. lib. 1. de Euch. cap. 5.*

At intentio non facit actionem bonam.

(13) **Non necessum est hoc agere,**  
**quod Christus instituit.**

*Colligitur ex Concil. Constantiens. sess. 13. Galiunde.*

At sic humana voluntas præfertur divina.

(14) Nulla

## (14) Nulla justa causa schismatis.

*Ita plurimi. in primis Walenburchii in tract. de Unit. Eccles. & Schism. Protest. ac novissime Erbermannii in Tropaeis Romanis S. Catbol. Eccles. ante victionem contra nostram Museum erectis, p. 71.*

At 1. aliud est schisma propriè dictum, aliud separatio. Si in posteriori significatu sumas, concedimus, nos esse schismaticos, secuti nostrum Gerh. L. de Eccles. §. 156. & 180. 2. causa separationis nostra est Papæ hæresis. Jam ipse Cusanus lib. 2. de Concordantia Cathol. cap. 17. *Cum Papa, ait, est hæreticus, tum unusquisque Laicus tenetur se ab illo separare.* At Papam esse hæreticum, disces vel ex iis, quæ adducit Gerh. L. de Eccles. §. 230. Add. Rivetus T. 1. Cathol. Orthod.

## (15) Ubiunque non est successio localis, & personalis, ibi non est vera Ecclesia.

*Placet ita negativè propositionem formare, cum accusatores Pontificii adformativam : Ubiunque est successio localis & personalis, ibi est vera Ecclesia, nolint suam absolvitè facere ; hanc tamen : Ubiunque est vera Ecclesia, ibi est successio localis & personalis, hanc negaturi, quippe quæ via conversionis admittenda.*

*Ita passim Papistæ.*

Sed 1. velim hoc legi de Scripturis. 2. nec Romana Ecclesia de successione externa & non - interrupta gloriari potest, ne dicam de interna seu doctrinali, quam vocant. V. Gerh. Conf. Cath. lib. II. spec. P. I. art. 3, cap. 4. & art. 5. cap. 4. eund. L. de Eccles. à §. 190. Dn. Siric. in peculiari tract. de Succes. Eccles. alios.

B

(16) Ubi-

(16) **U**bicunque non sunt ab Episcopis ordinati Ecclesiæ Ministri, ibi non est vera Ecclesia.

*Subsumunt de nobis: Apud Lutheranos non sunt ordinati ab Episcopis, cum Lutherus tantum fuerit Presbyter.*

*Ita Bellarm. T. II. controuv. 1. lib. 4. de not. Eccl. cap. 8. § ex quo &c. & controv. 2. lib. 1. de Cler. cap. 14. alii.*

Sed 1. probetur ordinationis absoluta necessitas. V. Gerh. L. de Eccles. §. 202. f. de Minist. Eccl. §. 139. Bald. Cas. Consc. p. 768. alios. 2. probetur, Episcopos jure Divinò presbyteris superiores esse. 3. Dantur in primitiva Ecclesia exempla consecratorum à nudis presbyteris.

Conf. Gerh. L. de Eccles. §. 201. 202. L. de Minist. Eccles. §. 152. in primis autem Hülsemannus in tractatu de Ministro Consecrationis & Ordinationis Sacerdotalis Alexandri VII. jussu in Indicem librorum prohibitorum relatò.

II. Tantum de Papisticis. Jam ad Calviniana. Sunt autem hæc fere:

**I.** Licet loqui, ut Lutherani loquuntur, etsi cum ipsis loquentes aliter sentiamus ac ipsi sentiunt.

*Hoc testatur praxis Calviniana.*

*Specimina ex articulo Prædestinationis suggesteret Mentzarus in Dispp. de Lutherana Synodi Dordr. de Prædest. Lingua, & ejusdem Synodi Calviniana de Prædest. mente. Alia leges in Himmel. Harmon. Calv. Papist. P. II. cap. VIII. Welleri Massonio theol. primo p. 19. &c. alibi.*

At hæc est hypocritica praxis, hypocrisi autem quid detestabilius?

2. Cum

2. Cum inter nos & Lutheranos  
non sit dissensus in fundamento  
fidei, malè iidem à conteseratio-  
ne spirituali abstinent.

*Ita plurimi, passim obvii.*

Sed negatur antecedens. Nam, ut cetera in hac *Thespi* præ-  
termittam, impingunt Calviniani in ipsam fundamentalem Doctri-  
nam de justificatione & salvatione hominis peccatoris per fidem me-  
rito Christi innixam. Velint, nolint, inquam, negare tenentur justi-  
ficationem & salvationem per fidem (quoniam & sunt quidam  
tam absurdum, ut justificari peccatores dicant, antequam credant, di-  
stinguentes eā fini inter justificationem activam & passivam. vid. Fa-  
cult. Theol. Wittenberg. Gründlicher Beweis/ daß die Calvinische  
Irrthüm den Grund des Glaubens betreffen / und der Seligkeit  
nachtheilig sein / ed. a. 1664 à pag. 696. f. ad p. 704.) quamdiu ab-  
solutum decretum propugnant. Ego sic argumentor:

Si nulla datur ratio impulsiva decreti electionis, nec dabitur  
ratio impulsiva executionis illius decreti (justificationis, & salvatio-  
nis;) & sic Deus nequaquam in justificatione, & salvatione attendet  
meritum Christi fide apprehensum.

Sed juxta Calvinianos nulla datur ratio impulsiva decreti ele-  
ctionis. E. *Major* sequitur vi conversionis per contrapositionem ex illa e-  
nunciatione: Ubiunque datur ratio impulsiva executionis decreti, ibi  
datur quoque ratio impulsiva ipsius decreti: ad cuius evidentissimam  
veritatem facientia cùm alibi legas, tūm in primis apud Da. Joh. Mu-  
saeum in solidissimo tractatu de Electionis decreto annis abhinc qua-  
tuor Heinio, Theologo Marpurgensi, oppositō.

*Minor* est dogma Calvinianorum indubitatum.

Innumera alia hauriri possunt è scriptis nostratium. V. Wür-  
tenbergensium Theologorum varia scripta contra Palatinos: Men-  
tzer, in Disp. de Consensu Luther. & Calvinian. in fundam. Christ.  
B 2 relig.

relig. hab. a. 1623, in scriptis contra Steinium, Crocium, Appelium &c.  
Hutter. in Iren. cap. 12. Sigvart. in Admonit. Christ. de Iren. Parei.  
Nicol. Hunn. in Diag. Hülsemann. in Calvin. irreconc. Anonymi  
Bedencken von den Streitigkeiten unter den Chur-Sächsischen und  
Helmstädtischen ed. a. 1662. à p. 140. Epicrisis Colleg. Theol. Wit-  
tenb. ad Syncr. Rintel. Marp. init. a. 1661. inserta Consiliornm.  
Wittenberg. edit. novissimæ. Idem Colleg. im Gründl. Beweis jam  
jam cit. Dn. Joh. Meisner. de Artic. Fidei disp. XII. hab. a. 69, ac  
multialii.

### 3. Nos sumus Augustanæ Confes- sionis socii.

*Ita olim non pauci, antequam Pacis civilis per Instrum...  
Pacis Monaster. Osnabrug. art. 7. (qui Legatos Serenis-  
simi Saxonie Electoris tum temporis contradixisse con-  
stat) compotes fierent: hodie ut pretendant, non usque  
ad eo necessitas ipsos urget.*

At 1. cur igitur in Comitiis Augustanis Zwingiani diver-  
sam à nostra Confessionem obtulere? 2. Calvinus, Beza, Neosta-  
dienses, alii, apertè fatentur, sibi non per omnia probari A. Confessio-  
nem. 3. aliud est variatam, aliud invariata recipere. Ad varia-  
tam in primis confugere solent adversarii. V. Georg. Sohnius Opp.  
T. II. p. m. 8. &c. alii. non defuere tamen, qui & invariata accepta-  
runt, quos inter collocutores Thoruniensis Colloquii. vid. Colleg.  
Theol. Wittenb. Gründl. Beweis/ daß die Calvin. Irrth. den Grund  
etc. p. 9. 10. 4. aliud est verba A. C. admittere in sensu Calviniano, aliud  
in orthodoxo. Audiamus Bezam ex epistola ad Andream Duditum  
(tractat. Theol. vol. 3. p. m. 189.) : *Fateor A. C. nobis in quibusdam  
non satisfacere, atque adeò in nonnullis, ac præsertim in capite de Cœ-  
na non probari, NISI COMMODA INTERPRETATIONE  
LENITATUR.* Conf. Hieron. Zanch. epist. lib. II. p. m. 81. &c. p.  
161. & alibi, 5. dissensus Reformatorum ab A. C. jam tum multis no-  
stratum scriptis demonstratus est. Vid. inter alia Egid. Hunn. T. V.  
Opp. Disp. II. Conf. de hoc argimento Dn. Seldius in Topica Calvin.  
à p. 143. 6. Obiter notamus, esse è nostris, quibus visum, in art. 7.  
Instr.

Instr. Pacis Osnabrug. Calvinianos hoc modò describi : Dies se unter denen Augspurgischen Confessions Verwandten Reformirte genannt werden. Vereor autem, ne, si ita haberent Instrumenti vocabula, Calviniani pro se hoc adducere possint, non opus ista : Inter illos, ad A. C. addictos peculiariter trahere : hæc enim generatim ad Status & subditos Imperii, quorum mentio præcesserat, pertinent. In vernaculo autem exemplari ne hæc quidem verba, utræque ihsen/ habentur. Inspiciatur ipsum Instrumentum.

#### 4. Non habenda sunt pro Doctrina nostræ Ecclesiæ , quæ ex privatis Doctoribus eruuntur.

*Ita Synodus Dordrac. in Conclusione Canonibus ab ipsa, formatis subjectâ, Acto. Dordrac. pag. m. 271. edit. Lugd. Bat. de a. 1620. fol. Palatini im Ausführl. Bericht cap. 1. p. 17. Masson. in Anatom. p. 38. alii.*

Sed 1. ipsa Dordracena Synodus sels. CXXXII. p. m. 239. f. Visum fuit potioribus suffragiis rejectionem incommodiorum locutionum (que scilicet in nonnullis Reformatorum Doctrinorum scriptis reperiuntur, ut habent verba præcedentia) esse omittendam : ne calumniari possent adversarii, rejectione phrasium incommodarum etiam DOCTRINAM ORTHODOXAM, quam profesi essent illi, qui in ejus explicatione ejusmodi phrasibus durius, aut imprudentius usi videntur, pariter damnari. Ergo ex iis, quorum ne phrases quidem duriores Synodus vult rejectas, Doctrina Calvinianorum haut adducenda? 2. publicis scriptis obscurè & ambiguè loquentibus, quidni adeantur obscurorum & ambiguorum interpres, iisque Reformatæ Ecclesia propugnatores primarii? 3. Ipsi Calviniani agunt, quod nos agere nolunt, quomodo cunque corradentes ex privatis nostratiuum scriptis, quæ ad religionem nostram orbi prostituendam faciant. Insignia specimina dabit Catechismus Ubiquitisticus ed. a. 1595. & 1615, Breviarium Ubiquitisticum a. 1620 & 1643 emissum, & alii libri.

Conf. Würtemb. im Exam. des ausführl. Ber. p. 9. 10. Weller,  
in Masson. σκελετ. pr. à p. 18. Wittenberg. l. c. P. I. c. II. Kesler. in Exam.  
Log. Photin. sect. IV. princip. IX. à p. 389. edit. 2.

## 5. Non damnanda sunt extra Synodum nostra dogmata.

*Ita prefatio Orthodoxi Confensus, cuius autor (reste Rod. Hoffm. Histor. Sacram. P. II. fol. 365. b) est Rudolphus Gualtherus. Et in pr. Georg. Sohnii T. II. Opp. p. 39. Et.*

At 1. Scriptura est norma quæstionum Theologicarum, non autem Concilia. 2. multæ hæreses damnatae à Patribus extra Concilium. 3. et si audiverimus satis abundè adversarios, & in scriptis, & ore tenus, parati tamen sumus ēn πειστοῦ eosdem in Coacilio quoque, si sperari queat, universali audire.

## 6. Lutherus paucis ante finem vitæ diebus fassus est Philippo Melanchthoni, se injuriam Sacramentariis fecisse.

*Ita Rodolph. Hoffm. Histor. Sacram. P. II. fol. 201. Joh. von Münster in præfat. libri de Frater. Et pag. 4. alii.*

At 1. si hoc factum, cur siluit rem tam notabilem Philippus, cum maximè ejus interesset, hanc Lutheri palinodiam publicare, quippe castigati antea cùm à Luthero ipso, tūm ab Electore Saxoniæ, quod in gratiam Sacramentariorum propriò motu A. Confessionem interpolasset. 2. producant, si possunt, Philippi manum rei gestæ (quomodo præ se ferunt) testem. 3. Palinodiam hanc Reformati factam dicunt, antequam Lutherus Islebiā, ubi mortuus est, proficeretur. Jam prostant conciones Lutheri non diu ante mortem Islebiæ habitæ, ex que nominatim perstringentes Sacramentarios. Credisne ipsum hoc facturum, si aliter mentem suam hau-  
ita

ita pridem Philippo declaravisset? Vid. T. VIII. Jen. Germ. fol. m.  
298. f. fol. 305. a. in med. & b in f. ed. de a. 1562. Taceo cetera fabu-  
læ indicia. Refutavit hoc mendacium jam tum olim D. Joachi-  
mus Morlinus. V. Concordiam Conc. Hutteri p. 94. edit. 2.

## 7. Lutheri liber de Servo Arbitrio stat pro nobis.

*Ita Beza, libro suo de Prædestinatione subjiciens hanc fini  
principia aliquot loca ex hoc Lutheri libello. V. tractat.  
Theol. vol. 3. ap. 440. Addatur ejusdem Resp. I. ad Acta  
Colloq. Montisbelligart. in fine. Palatinor. Aussführl. Be-  
richt cap. 7. 8. alii. Hinc nuper Georg. Hornius Histor. ec-  
cles. p. 175. Hoc librō post Apostolica scripta nullus le-  
ctione & meditatione dignior est. Et p. 176. Hoc scriptum  
inter omnia Lutheri in primis excellens, & admirandum  
censetur, neque unquam stante orbe terrarum, & ecclesiā  
quisquam Lutherum in illâ quæstione, Deus ab homine,  
an homo à Deo absolute pendeat, superavit.*

Nos i. duriuscula quædam hic dati non inficiamur: sed hæc e-  
mollienda. Attendenda in primis temporis illius, quod Lutherus scripsit,  
conditio: tum enim sceptra tenebat Pelagianismus. Attendenda hy-  
pothesis aliorum, ex qua sæpe loquitur. Attendenda maximè ant-  
ecedentia & consequentia vocabulorum, quæ dura apparent. Vid.  
Wurtembb. iii Exam. des aussführl. Bericht cap. 7. à p. 549. cap. 8. à  
p. 594. in Continuat. Exam. à p. 71. Weller. in Massonio σκελ.  
à p. 280. Seld. Topic. Calvin. à p. 1426. Dn. Haberkorn. Colleg.  
Wittenb. in Epist. Antapologet. Rintelensi oppositâ. 2. Lutheri auto-  
ritas quod loco nobis sit, vid. in Hutteri Concord. Conc. à p. 349. ed.  
2. & omnino ap. Wurtembergg. in Promotione gehalt. Examin. à  
p. 33. ad p. 57. alibi.

## 8. Quicquid naturæ, & rationi CON-

congruum non est, illud non est  
acceptandum.

Longum foret, singula buc spectantia ex ipsorum libris  
adferre. Etsi enim vulgo nolint sibi ejusmodi principi-  
um adscribi, docent tamen hoc ipsum partim expressa-  
corundem verba, partim praxis. Legas hanc fini e scriptis  
Reformatorum eruta apud Meijer, in der erste Probe der  
Calvin. Relig. cap. 2. Himmel, in Colleg. Iren. p. 8. Weller  
in Masson. συνέλευτ. ἀρ. 10. Seld. in Topica Calvin. ἀρ. p. 11. &  
ivpr. accuratisimum Dn. Job. Museum de usu princ. rat.  
adversus Vedelium, quem cum aliis falso Reformatis ex-  
probrare hoc, quod in thesi adserimus, dicit, sed non pro-  
bat Hoornbeek in Socinian. confut. tom. I. p. 100.

Nos opponimus 1. Scripturæ de hac norma credendorum  
silentium. 2. exempla non secutorum rationem in rebus fidei, A-  
brahaꝝ Rom. IV, 18. Naamanis, 2. Reg. V, 10. 11. 13. Pauli, ad Gal. I,  
15. 16. 3. mysteriorum habitudinem. sunt enim illa rationi impervia.  
conf. 1. Cor. II, 7. 14. 4. ratio ne naturalium quidem rerum norma  
est, multò minus supernaturalium. Res sunt norma rationis, non  
contra. 5. ipsi aduersarii haut raro hic agnoscunt θεωρητικῶς (in-  
primis quando pro mysterio Trinitatis, & similibus contra Socinia-  
nos pugnant) quod non ubique obseruant θεωρητικῶς, ut ferè lo-  
quitur Gerh. in procēm. Exeg. LL. Theol. §. 24. 6. quod distingui solet  
inter rationem illuminatam & non illuminatam, causam non juvat:  
nam & illuminata ratio imperfecta est. 1. Cor. XIII, 9.

Conf. Dn. Casp. Maurit. in Exercit. Anti. Socin. p. 21. &c. Dn.  
Dürr. in Disp. de Præjudic. in rebus Theolog. à §. XI.

9. Nos hodie propriūs ad Luthe-  
ranos accedimus, quàm majores  
noſtri. missō enim supralapsaria-  
nismō ſumus vel inſralapsarii vel  
hypothetici.

Ita

*Ita vulgo.*

Sed 1. non omnes valedixerent supralapsarianismo. nam & hujus seculi Calviniani, Gomarus, Hommius, Triglandius, Thysius, Maccovius, Tvvissus, Rhetorfortis, imò, solus etiam nunc superstes è Dordracenæ Synodi Adfessoribus, Gisbertus Voetius, aliquem supralapsarii sunt. 2. sive infralapsarii sint ( quorsum communiter inclinant ) sive hypotheticci ( quales Paræus, Ludov. & Joh. Crocii, Conr. & Joh. Bergii, Hallus, Davenantius, Camero, Amyraldus &c. ) Cor & Palladium doctrinæ Calvinianæ ( sic ipsi vocant ), abso-lutum decretum , omnes retinent. 3. Synodus Dordracena haut obscurè sess. CXXXII. pro orthodoxis etiam supralapsarios agno-vit. Verba sessionis citata ad præsidium quartum. Eoque tendit, qui Synodo ipse interfuit, Voetius Disput. select. T. I. p. 354. 4. Hy-potheticorum conditio : Deum velle omnes homines salvos , si possint & velint credere, est nugatoria , cum addant ; nolle Deum o-mnibus dare fidem. Pluribus ista ( etsi res merebatur ) ut persequa-mur, non admittit thesium modus. Vid. fusè Colleg. Wittenb. in gründl. Beweis sèpiùs cit. à f. p. 203. alii.

III. Succedunt *Socinianæ*.

## 1. Ratio est norma rerum Theologi-carum.

*Est principium commune Socinianis & Calvinianis. Socini- niani tamen audentius id crepant : seductique hòc ipsò o- mnia fidei mysteria negant. Res probatione haut indi- get. Vel unius Danielis Zwickeri clamores in libris per annos proximos emissis adassertionis veritatem clamant. Qui aliorum Socinianorum verba huic facientia nosse vo- let, adeat Gerb. Exeg. L. de Script. §. 472. & alios.*

Sed vid. supra resp. in præsid. Calvin. 8. & conf. eos, qui contra Socinianos scripsere. Speciatim hic notandum , male in primis habere Zwickerum cùm alibi, tum in Revelat. Cathol. veri, quòd nos, ubi contradicatio rationis nobis nōcitura videtur , effugere eam cogi- temus unā mentione mysterii factā. Sed quicquid dicat, negare myste-

C

mysteria haut potest. Regeret: ubi verò Scriptura vult hæc mysteriorum nomine venire, quæ vos mysteriorum nomine venditatis? Ubi v. gr. ea nominat mysterium, quod vos de Christo ~~beatus~~ traditis? Aut mera vobis in Scriptura singenda mysteria fuerint, aut tum demum, cum Scriptura speciatim mysteriorum indicium facit, in hunc enim modū fere præsens quondam mecum in Belgio Zwickerus differuit. Sed bene reshabet. De Christo ~~beatus~~ clarissimus locus est I. Tim. III. v. ult. nec movet nos observatio Curcellæ & Felbingeri, testantium, vocem ~~Theta~~ abesse hic à veteri Codice Græco (de Versionibus non dubitamus). Producant, si possunt, Codicem. Bezae utique variarum lectionum curiosissimo indagatori talis haut obvenit. Sed quid si produixerint? Unus quidem Codex reliquis omnibus temerè anteponetur. Quid de aliis loci depravationibus habendum, reservamus conflictui.

2. Lutherani (non secus ac Romani, Calviniani &c.) juxta propriam Confessionem in contradictione harentes tenentur errorem abjicere, nisi absurdè statuere velint, duo contradictoria posse simul vera esse.

Huc tendit Zwickeri Tractatus tractatum seu Compelle int're.

Sed Zwickerus Sophista est, orbi persvasurus, quod Lutherani, ac speciatim B. Dn. Meisnerus largiantur, dogmata Theologica, qualia defeaduntur inter Lutheranos (v. gr. mysterium Trinitatis) verè implicare in Philosophia, seu Theologiam nostram verè contradicere sanæ Philosophiae. Committitur in verbis Meisneri fallacia compositionis & divisionis, iis tantum recensitis à Monarchiano, sub quibus delitescere potest, non item illis, quæ ipsi adversantur. Vel sola

Iola conclusio quæstionis: An una, vel duplex sit veritas (quæ est  
tertia sect. 4. P. I. Philos. Sobr. unde sua quoque promitt Antagoni-  
sta) fraudem aperiet. Legas ibi inter alia hæc: Concludo, quod  
quidem nullum verum Philosophicum sit falsum Theologicum: atta-  
men multa vera Theologica habeantur (non dico quod sint, sed quod  
habeantur NB NB) pro falsis in Philosophia, quatenus existit in ho-  
mine, præsertim infideli &c. p. 1003. ed. in 8. de a. 1612. Et quotiens  
quæsto Videri hic inculcavit Meisnerus? Vid. p. 17. med. p. 28. post  
med. p. 995. f. in margine p. 1000. med. p. 1001. med. in margine: p.  
1003. f. p. 1004. pr. &c. Exprobavit Zwickero factum abhinc tri-  
ennio in Acad. Altorfina Dn. Joh. Conr. Dürrius. Sed est tamen ho-  
mini effugium. Quale igitur? Videri sæpenumero pro esse usur-  
pari: eò enim se proripiebat, cum ante biennium oretenus ipsi cri-  
men falsi in Meisnero perpetratum Amstelodami objectarem. At  
nihil hoc esse, apparebit ponderantilocos jam nunc citatos. Taceo  
cetera...

3. Religio minimum dissensionis  
pariens inter suos propugnato-  
res, & omnes quoque contradic-  
entes sectas tolerans (qualis Uni-  
tiorum religio) Christianissima  
est,

Ita Zwickero in Revelat. cathol. veri pr.

At. dei (ait Paulus). Cor. XI, 19. ἀριστεῖς εὐ υπὸν εἶναι. C.  
Matth. XVIII, 7. Luc. II, 34. XVII, 1. Acto. XX, 30. i. Joh. II, 19. 2.  
Paulus Rom. XII, 18. vult nos εἰς τὴν εἰναὶ pacem colere cum omnibus  
hominibus, non absolutè, sed, εἰ δυνατός, πέρι οὐκών. זְהַבָּתִים  
אֶחָבוּ וְהַשְׁלֹמָה Diligite veritatem & pacem, Zachar. VIII, 19.  
quibus & item aliis serio penitatis, non quadrangulum dicta à Zwickero  
citata ex ep. ad Rom. c. XIV, 17. 18. XV, 7. 3. Αἱρετικὴν ἀνθεωρην  
(ita præcipit Paulus ad Tit. III, 10.) μετὰ μιαν καὶ διατέραν ταχείαν  
διχοτομην (conf. omnino 2. Joh. v. 9. 10. ii. & i. Tim. VI, 3. 5.). tan-  
tum

tum abest, ut omnes sectæ cum suo sensu tolerari & suscipi debeant. Et ita tamen videtur Unitario, l. c. adserenti, das ihre (der Monarchischen Lehre) Bekennet gerne alle andere Secten mit ihrem Verstande dulden / tragen / und auffnehmen / oder ja / solches zu thun sich öffentlich erbieten. Quanquam nescio, quomodo haec cum iis coharent, quæ idem tradit in suo Compelle intrare, apertæ, periculose & damnabilis hæreseos, imò idolatriæ convicturò præcipuas sectas, sc. Romanam, Græcam, Lutheranam & Calvinianam. Ergone apertos hæreticos & idololatras (si tamen hic noster ex Areopago pronunciat) suscipere haut veretur Samarita? Enimverò quid mirum? adeò sibi constat Proteus, ut, quas sectas hic hæreticos & idololatras vocat, in Corollar. Irenici Irenicor. p. 79. & 80. Ecclesiæ Christi, filios Dei, membra Christi appeleret. Quid sagi ab hoc monstrœ exspectes?

#### 4. Religio ob pondus suum maximè timorem incutiens contradicentibus, & plurimum ipsis negoti faciens præ aliis religionibus (qualis Unitarianum religio) pro certissima habenda est.

Ita Zwicker, in *Revelat. Cathol. veri* à p. 5. fad med p. 7. probans minorem ex Hoornbecki (T. I. Socin. conf. p. 96<sup>5</sup> 97. appar.) & Dn. Calovii (in Dec. disert. de Theol. Socin. ortu p. 71) propriâ confessione.

Sed 1. N. V. C. Hujus secta dilatatio ante alias timetur (id volunt laudati autores rectè inspecti) 2. haec secta est omnium verissima & certissima. Scilicet falsa præ veris arripi solent: & quod speciosius colorantur falsa, eò celerior fides. Constat autem præ aliis Monarchianos colores suis erroribus allinere. Hinc pia ista, quam præ se ferunt solicitudinem orthodoxi. 2. Non sanior altera collectio: Haec secta præ aliis negoti facit Theologis. E. tradit certissima. Itane quæ confutare quodammodo δύσκολον, confutare adūravēt est?

3. Reli-

5. Religio, quæ passim in provinciis docetur & recipitur, & quidem, sine externo præsidio (qualis iterum Unitariorum religio) est certissima.

Ita Zwicker. l.c.p. 7 & 8.

At Paulus 2. Tim. II, 17. de erroribus quoque Hymenæi & Phileti : ὁ λόγος αὐτῶν ἀστάθη γεγέννητο εἶται. Ipse Atheismus (ut alia præterea) ubique locorum nunc nidos quærens & inveniens hōc pactō approbadus fuerit. Est id παρόειδα à nostris dudum in Papismo notatum.

6. Si ipsi adversarii Socinianorum, in nonnullis de DEO, tam quoad personam, quam quoad essentiam unō, cum Socinianis faciunt (faciunt autem cum iis Papistæ, Reformati, Lutherani, Arminiani) vel inde constat, certissimam esse Socinianorum doctrinam.

Ita Zwicker. l.c. ad med. p. 8 ad p. 20.

At 1. si minor vel maximè concedatur, quæ consequentia à nonnullorum approbatione ad approbationem & certitudinem omnium? 2. falsum, Lutheranos (nam ὁ εἰς τὸν οὐρανὸν quid ad nos si possunt, ipsi sese defendant) facere in nonnullis, quod articulum de Unitate DEI tam quoad personam quam quoad essentiam attinet, cum

Unitariis. Adducit Zwickerus p. 14. f. &c. eā fini ipsum Lutherum, Calixtum, Horneum, Dreierum, Latermannum, Behmum, Henricum Nicolai. Sed de Lutherō centies confutatam Papistarum fabulam nobis narrat, quam & Sandius, quā fronte nescio, repetere ausus est encl. Histor. Ecclesiast. lib. 3. pag. 10. Calixtus & Socii caput causae nunquam inficiati sunt, quin pugnare pro Trinitate contra anti-Trinitarios. Res ex scriptis clara. Interim non dissitemur, dari quoque in nostris, qui de probationibus ex V. T. pro Trinitate desumptis sanores in ipsis locutiones desiderant. Judicia passim obvia sunt. Henricum Nicolai non est quod nobis objicit Zwickerus. neque enim nescit, quomodo eidem Dantisci & alibi contradicunt sit.

## 7. Lutherani, & alii non nisi petitiones principii committunt in adserenda Doctrina sua contra Unitarios.

Hac querelā cum alii Sociniani passim utuntur, tūm in primis Zwickerus l.c. A.f. p. 22, ad p. 70. ostensurus, Gravērum, Wittenbergenſes, Meißnerum, Gerhardum, Botsacum, Bisterfeldium, Calovium, Petaviūm, Placeum, Hoornbeckium &c. hōc solō elidere conari adversariorum argumenta.

Sed, ut paucis me expediam, (nam vindicare speciatim Theologos, quibus ille principii petitiones adsingit, non est hujus operæ) erat Zwickerus. Nos in disputatione cum Unitariis supponentes v. gr. (de eo enim potissimum hic agit Zwickerus) distinctionem duarum in Christo naturarum, divinæ atque humanæ, eaque loco responsionis utentes, haut cupimus nobis concedi hanc Distinctionem, ceu talem, quæ vel nondum probata à nobis sit, vel, ubi adhuc opus, probari nequeat: ideoque (cum in hoc ipso natura petitionis principii consistat) non petimus principium. Christum esse hominem, utique Sociniani haut negant, quin id agunt, ut nudum hominem esse ostendant. At DEUM esse eundem, & quidem summum, demonstrat luculentissime (ut cetera jam argumenta pratermittam) collatio dictorum V. & N. T. quam passim instituere Theologi.

logi. Respondeant, si viri sunt, huic argumento solidè. & videbimus, an falso à nobis adhibetur distincio inter divinam & humanam naturam. Sed habemus, dicent, quod respondeamus. Quid igitur? Audiemus.

8. Si fortè, quæ in V. T. de summo DEO dicta sunt, in N. de Christo dicuntur, censemus hoc fieri tantum per Accommodationem, non autem, quod Christus sit ille ipse summus DEUS.

*Ita Schlicht. contra Meisn. de Trinit. p. 45. edit. de a. 1637. & alii.*

Sed ipse Schlichting contra Meisn. lib. cit. p. 657. Aliud est, adscribi alicui ea, quæ alias de DEO dicuntur: aliud, ea adscribi, quæ non nisi divine personæ possunt tribui. Illa possunt esse aliis cum DEO communia; hæc solius Dei sunt propria. Si Prophetis & Apostolis, quos personas propriè fuisse constat, talia tribuerentur, nonne sequeretur, eos divinas esse personas? Subsumo: Christo adscribuntur ex V. T. in N. T. solius DEI propria. E. Ex. gr. adscribitur Christo Joh. XII, 41. gloria summo DEO Jes. VI, 2. tributa, & adscribitur quidem ita, ut Jesaias videns gloriam Iehovæ dicatur vidisse gloriam Christi, & visionem hanc literis mandans locutus esse NB. de ipso Christo. Vim faciunt Scripturæ, qui nudam hæc accommodacionem somniant, petuntque omnino id, quod est in principio. Lucida est vox DEI apud Jesaiam c. XLII, 8. אֵת - אֵת gloria meam alteri non dabo. רַי לְמִבֵּן Conf. Dn. Maurit. Exercit. Anti-Socin p. 64. &c. Dn. Dürr in Christian per hypoth. & dogmata Socin. evers. p. 82. 83. In primis hoc facit erudita Ζούλουμα Ḥaṣṭeṭa Hackspani de Accommodatione Disputatio, quæ habetur in Sylloge Disp. à p. 47.

9. Sub

## 9. Sub N. T. V. T. lectio non est necessaria.

*Ita passim.*

Sed opponimus 1. 2. Tim. III, 16. 2. unius Testam. ab altero dependentiam. Vid. plura ap. Hoornbeck. T. I. Socin. confut. à p. 57.

## 10. A posse ad esse valet consequentia.

*Hoc frequentissimum in Socinianorum scriptis. vid. speciatim Zwicker. in Revelat. Cathol. veri à p. 78.*

Sed hoc ipsò apertè impingitur in canonem Metaphysicum: Aptitudinis actus non semper est necessarius. Conf. fusiū Kesler. Exam. Log. Photin. p. 6 &c à p. 353.

IV. Socinianis nunc missis pergimus ad Arminiana, vel, si hoc manvis, Arminiano - Sociniana. Præcipua hæc sunt:

I. Balsamum, quô vulnera Christianismi leniri, labia hiantia conglutinari, atque ad cicatricem perduci possunt, est mutua Tolerantia, ita ut sua unicuique sentiendi libertas relinquatur.

*Ita Stephanus Curcollaeus cum Apolog. Confessionis Remonstr. in prefat. ad opera Episcopii. Hinc Tolerantiam istam Remonstrantes vocant propriam suam tessaram, & sectæ suæ gloriam. Vid. Vedelius Rhapsodus Confessit Dan. Zwickerus, cœn supra visum.*

Sed vid. resp. præfid. Socin. 3. num. 2. 3. Ceterum ne videantur nimis laxare velle huic libertati fræna, solent ostendere speciales, quos tolerari conveniat. Sic igitur porrò loquuntur.

2. Evi-

2. Qvicunque articulos fidei Symbolō Apostolicō contentos amplectuntur, & vitam ad præcepta Christi de moribus componendam esse statuunt, gaudent fundamentō fidei, ideoque tolerandi sunt.

*Ita Curcellæus l. e. conf. omnino Episcop. in Reffons. ad Di-  
lemata X. Pontif. alicuius Doctoris P. II. opp. p. 155. Idem  
Inst. lib. IV. sett. 1. cap. XI.*

At hypothesis falsa est, gaudere fundamentō fidei, qui Symbolum Apostolicum amplectuntur. nam 1. aliud est amplecti Symbolum orthodoxo, aliud, heterodoxo sensu. Quotusquisque hodie non provocat ad hoc Symbolum, et si mente ab eodem alienissimus? Sociniani certè id in ipsa Catechesi Racovиessi (p. m. 54. edit. German. de a. 1608.) recipiunt: imò notis illustrant, conf. Sandii enucl. Histor. eccles. lib. I. p. 98. f. &c. & p. 229. 2. si vel maximè admittatur sensu orthodoxo, non legas inibi omnia ad salutem necessaria, quod falso cùm alii tum Remonstrantes supponunt. Probavere id dudum nostres, nec opus hīc est repetitione. Vid. inter alias Anon. Ged. von den Strittig. unter den Chursächs. und Helmst. à p. 153. & Dn. Calov. in Syncret. Calixt.

3. Cogitantes, fieri posse, ut ii, quos in errore verlari putamus, saniū nobis sentiant, æquanimiter eos toleramus.

D

Iz

*Ita Barthol. Prävostius in Concionē a. 1648. 10. Jun. in Ps.  
122. habitā.*

Sed hoc est contra plerophoriam fidei requisitam à Paulo ad Rom. XIV, 5. in rebus etiam levioribus, nedium gravissimis.

4. Lutherani à nobis non possunt in communionem recipi, quia 1. renuunt nos vicissim recipere, 2. Doctrina illorum de reali præsentia corporis in Cœna est idololatrica (credunt enim solum corpus uniri cum pane, & hinc adorant cadaver), 3. postulant tyrannicè consensum cum Formula Concordiæ.

*Ita prefat. Apolog. Remonstr. nec non Vedel. Rhapsod.*

Sed quod 1. recipere ipsos nolumus, faciunt cùm alia, tum Pyrrhonismus, & pudenda cum Socinianis collusio. 2. ab acceptance solius corporis Christi sub specie panis, non item sanguinis, quam vi institutionis Christi, exclusa concomitantia Papistica, credere tenemur, (ut ut capere nequeamus, quī vivum corpus sine sanguine accipi possit) ad adorationem cadaveris N. V. C. Valeret, si eredemus, mortuum à nobis corpus sumi. 3. probetur tyrannis à nostris exercita ob Form. Conc. nos sanè nihil frequentius inclamamus, quād fidem cogendam haut esse, sed svadendam. Res no-

5. Habentur articuli ad salutem necessa-

cessarii ab adversariis nostris, qui  
non sunt tales.

*Id passim per exempla Episcopius cum alibi tam in Instit.  
Theol. ostendere conatur. Speciatim de Trinitatis mysterio  
ita differitur in prefat. Apol. Remonstr. in Vedel. Rhapsodo.  
Conf. Episcop. conc. 1. de causis incredulit. Jud. P. I.  
Opp. p. 437. b. pr. alibi. Confer. & Curcell. prefat. in Opp.  
Episcop. Ita Edoardus Herbert (imitatus hos tales) quings  
tantum articulos necessarios judicat ad salutem. Huic  
similia habet nuperus Autor de Libertate philosophandi  
cap XIV. Curcellaeus in dis. 3. Quatern. adv. Maref. negat o-  
mnibus adultis Christi cognitionem ad salutem necessariam.*

At nos nihil, nisi quod Scriptura credendum præcipit sub ne-  
cessitate salutis, ad salutem necessarium dicimus. neque tamen opus,  
in singulis Scripturæ locis expressam ejusmodi formulam credendis  
addi. Sufficit eorum, quibus non adjecta necessitatis mentio in or-  
dine ad salutem, necessarius nexus cum aliis, quibus adjecta est. Ad  
probandum specialium dogmatum necessitatem credendi facientia  
adferre est alius loci. Baroni Edoardo cùdum responderunt Viri  
docti, Dn. Musæus & Dn. Titius. Curcellæum autem confutavit Ma-  
resius, alii.

V. Agmen claudant Judaica. In his ista:

### I. Præter legem scriptam lege quo- que orali opus fuit.

*Ita passim. Videatur speciatim Menasseh Ben Israel in  
Conciliat. quest. L. in Exod. à f. p. 174. (ed. Lat. de a. 1633.)  
Hinc R. Bechayi in fol. ג hunc in modum:  
שקר ההוראה היא ההוראה שבעל פה  
שאין תורה שבכתב יוכלה להבהיר כי אם  
על יורי תורה שבבעל פה: Id est: Fundamen-  
tum scriptæ legis est lex oralis: siquidem lex scripta ne-  
quit explicari nisi beneficio legis oralis.*

D 2

Sed

Sed Lex scripta nusquam nos ad Legem oralem ablegavit.

2. Lex aut volumina Mosis sunt mensura reliquorum librorum, idque non modò in externis omnibus libris locum habet, sed etiam in ipsis Bibliis ac libris Canonici, qui si quicquam habeant discrepans à sententia Mosaica, necessariò deserendi sunt, aut ita interpretandi, ut cum Mosis verbis convenient,

*Ita habent verba Menas. Ben. Isr. in Concil. quest. 43. in Exod. p. 161.*

At æquè verbum DEI sunt, quæ ceteri Canonici libri habent, quæm quæ habet Moses. In DEI verbis autem nihil deserendum est.

3. Daniel non est illô locô huden, quô ceteri Prophetæ.

*Ita multi.*

Sed (ut alia nunc prætermittam) ipse Abarbenel (qui ex recentioribus scriptor. maximè argutus & acutus audit Buxtorfio præfat. in Differ. Philol. Theol.) obloquitur hic civibus suis in **מעין** à col. 3. fol. 16. Imò fol. 20. col. 6. comparat is ipse Daniel Jesaiæ & Ezechieli. Conf. R. Saadia in Seph. haemun. præfat. num. 5. & p. 40. col. 1. lls. ult. Aben Ezra proœm. in Dan. Maimon. Mor. Nevoch. p. II. c. 45. p. 318. 319.

Add.

Add. Dr. Müller. Judaism. p. 19. &c. Hottinger. Thesaur. Philol. p. 504. f. &c. alii.

#### 4. Lex oralis (Talmudica scripta) præferenda Legi scriptæ.

Hoc vel illud Rabbinorum **תְּאַלְפִּים** evincat:  
**בְּנֵי הָזֶה בְּרָבְרִי סְופְרִים** יוֹהָר מִדְבָּרִי הָוֶה:  
Mi Fili, sis potius attentus ad Scribarum, quam ad Legis (Mosis) verba. Hinc flosculi illi in ipsius Talmudis Hierosolym. Massech. cap. 1 illati, & passim inde citati:  
**תְּרֻעַ לְךָ שְׁרָבָרִי סְופְרִים חֲבִיכָן** מִדְבָּרִי הָוֶה  
**וְחֲבִיכָן רְכָרִי זְקָנִים** מִרְכָּרִי נְבוֹאִים id est,  
Scias, verba Scribarum amabiliora esse verbis Legis; &  
Prophetarum verbis amabiliora esse verba Seniorum.  
Plura id genus portenta dictorum colligit Buxt. in Synag. Jud. cap. 3. & p. 62. (ed. 3.) & de Abbrev. Hebr. ap. 222. (ed. 2.) alii.

Sed ita apertissimè D E U S hominibus postponetur. Conf. Hoornbeekium lib. 1. c. 3. de convinc. & convert. Judæis contra Talmudem disputantem, alios.

#### 5. Scriptura gaudet multiplici sensu literali.

Ita passim Judæi cum Papistis & aliis. Hinc R. Lipmannus in lib. Nizach. ad illustrērem de Messia locum Gen. 49. ita:  
**הַנּוֹרָה סְבָלָת כְּמוֹת פְּרוֹשִׁים וְאֶלְוָן וְאַיָּל**  
**דְּבָרִי אֱלֹקִים חַיִּים** Lex aliquot recipit sensus: sunt autem omnes æquè verba Dei viventis.

At sic nasus cereus fiet ex Scriptura, quam in omnem veritatem duci oportet. Conf. Glass. Philol. S. p. 265. &c. alios, qui de sensu Scripturæ contra Papistas egere.

D 3

6. Rab-

## 6. Rabbinis credendum est, quicquid dicant.

Hinc R. Salomo Jarchi ad Deuter. XVIII, ii. negat reddendum à verbis illorum, אִפְוֹ אָוֹתֶר לֵךְ עַל יָמַן שְׁחוֹא, שְׁמָאוֹל וּעַל שְׁמָאל שְׁחוֹא יָמַן וְכֹל שְׁכַנְן שָׁאוֹמֶר לֵךְ עַל יָמַן וּעַל שְׁמָאל שְׁמָאל et si dicant de dextra, quod sit sinistra, & de sinistra, quod sit dextra, multò minus, si dextra dextræ, sinistra sinistre nomine ipsis veniat. Et בְּעַל הַטּוֹרוֹת ad Exod. XIV, 31. bunc in modum: החולק עַל רַבּו כְּחֻולָק עַל השכינָה והמאמין ברבו חכמי כמאמין Si quis contenderit cum Magistro suo, perinde est, ac si contendat cum Deo, & si quis crediderit verbis sapientum, perinde est, ac si credat Deo. Et sic plures.

Sed ita bellum ipsis cum universali principio: *Impossible est idem simul esse & non esse*: produceturque denuò in scenam illud Pythagoricum: ἀντίς ἐφε, in Scripturis S. quidem locum habens, sed non extra illas. Conf. Hackspan. in tract. R. Lipm. Niz. subj. cap. I. à §. XLIII. Addi his varia possent ex ספר היליכות שלם quem in Latinam linguam translatum dedit nobis Constantinus L' Empereur, & aliunde. sed habendum est ante oculos promissæ brevitätis studium.

VI. Hic igitur jam nunc pedem figimus. Neque enim tanti videatur, minutiorum quoque sectarum ( quales, Anabaptismô praeente, Anglia & Belgium in primis magnò numerò suppeditant ) præsidii generalibus ( cuiusmodi sunt: *A disputationibus in religione abstinendum esse*: Philosophiam doctos in Academis non esse adhibendos ad Ministerium Ecclesiasticum, atque id genus alia ) adducendis chartam tribuere. Sufficit præcipua præcipuarum sectarum subministrasse. Atheismi tamen, fateor, non omnino nulla habenda ratio erat, cum is proh dolor magis atque magis hominum fœse indies animis inficiet. Enimvero quod generale ipsorum prin-

principium attinet (*Scriptura Christianorum non esse credendum*,) aperuimus eā de re pro ingenii modulo abhinc quadriennio circiter in Academia Jenensi nostram sententiam in Dissertatione de Principiis cognoscendi divinam literarum sacrarum firmitudinem. Cetera autem Atheistarum dogmata sunt fere specialia. at talium consideratio hīc non instituitur. Vindicari quidem nunc poterat Scripturæ divinitas ab ἐγκλήμασι, quibus eam Athei onerant. sed justa confutatio infitorum penè aylorum non patietur se, intra hujus tam recisi opusculi fines coerceri. Et res præterea ipsa longiori meditatione digna est. Si sapis (ait non minùs prudenter quam eleganter Bernhardus Serm. XVIII. in Canticum) concham te exhibebis, & non canalem. Hic siquidem penè simul & recipit & refundit. Illa vero, donec impleatur, exspectat, & sic, quod superabundat, sine suo damno communicat. --- Verum canales multos hodie habemus in Ecclesia, conchas vero perpaucas. Id pensi habens præbebo me ad tempus hac in re concham, viturus, quid vesper in posterum vehat.

Tibi,  
**JESU CHRISTE,**  
o & præsidium & dulce decus meum,  
gloria!



Ad

Ad

Prænobilem & Clarissimum Dominum

**DN. SEVERINUM WAL-**  
**THERUM SCHLUTERUM,**  
S. S. Theologiæ Candidatum,  
doctrinâ vitaq; fulgidissimum,

de

# PRÆSIDIIS

famosiorum nostrâ ætate sectarum s. hæresium  
publicè pro Licentiâ  
consequendi supremum in Theolog.gradum

Disputantem.

XV. Calend. Octobr. a. clo loc LXXII.

**I**mproba quām stygiis invadat nubibus astra  
Et violare paret cum pietate fidem,  
Præsidis furiisq; suis armata Megæra,  
Sumat & à lecto corpore sæva caput  
Imperiosa satis, superis indicere bellum,  
Perq; suos fremitus omne movere chaos,  
Tu Varni decus, & nostræ pars magna Selenæ  
Præsidio cœli nobiliore, notas.

Nunc

Nunc sedet Orchestris vigilatas credere Lunas,  
Ut pandas aliis, quod tibi constat, epos.  
Quo melior, veræ fideique tenacior orbis  
Fiat, qui premit, haut vivere dignus erat.  
Nascimur haut nobis solis, quos causa Tonantis  
Communi poscit consuluissere rei.  
Sic facias! studio protollere nominis ævum  
Qui valet, is Phœnix post sua fata cluet.  
Innumeræ pestes Erebi glomerentur in unum:  
Lædere sub DOMINO nulla Megæra potest.

Augustus Varenius, D.  
h. t. Acad. Rostoch.  
Rector.



Sic iterum SLUTERE decus titulosq; vetustos  
Thejologi vestris infere sanguinibus!  
Et Cathedram conscende sacram! Te dignior alter  
Ex illo haut poterit differuisse loco.  
Virtutum tituli sunt præmia sâpe; sed illa—  
Præmia sunt studiis inferiora tuis.  
Cura, labor, Virtus, pietas majora merentur,  
Ingenii dotes maxima quæque petunt.  
In te cuncta simul mihi confluxisse videntur,  
SLUTERE, Aonii gloria rara chori.

Mensis

*Mentis opes, aditus clausos, SEVERINE, severè  
Doctorum juvit per voluisse virūm.  
Nunc quæ Papa tegit, Calvinus, & ipsa Socini  
Progenies, reseras. Gratulor illa tibi!  
Et tandem ex animo feliciter accino cœptis:  
Sit gradus ille gradus spesq; parensq; novi!*

Ita amicissimo suo SLUTERO  
adclamat

M. Franciscus VVolfius,  
Log. P.P.





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn740891391/phys\\_0041](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740891391/phys_0041)

DFG







Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn740891391/phys\\_0044](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740891391/phys_0044)

DFG

Nunc sedet Orchesbris vigilas crede  
 Ut pandas aliis, quod tibi constat,  
 Quo melior, veræ fideique tenacior o  
 Fiat, qui premit, haut vivere dignu  
 Nascimur haut nobis solis, quos causa  
 Communi poscit consuluissere.  
 Sic facias! studio protollere nominis  
 Qui valet, is Phœnix post sua fata c  
 Innumeræ pestes Erebi glomerentur  
 Lædere sub DOMINO nulla Megæ

## Augustus Vareni

h. t. Acad. Ro  
Recto

Siciterum SLUTERE decus titulosq;  
 Thejologi vestris insere sanguinib;  
 Et Cathedram concende sacram! Te dign  
 Ex illo haut poterit differuisse loco.  
 Virtutum tituli sunt præmia sæpe; sed ill  
 Præmia sunt studiis inferiora tuis.  
 Cura, labor, Virtus, pietas majora mere  
 Ingenii dotes maxima quæque petue  
 In te cuncta simul mihi confluxisse vident  
 SLUTERE, Aonii gloria rara c




Image Engineering Scan Reference Chart T263 Serial No.

098

Patch Reference numbers on UTT

098